



The Holy See

LITTERAE APOSTOLICAE
MOTU PROPRIO DATAE

TRADITIONIS CUSTODES

DE USU LIBRORUM LITURGICORUM
INSTAURATIONEM CONCILII VATICANI II ANTECEDENTIUM

FRANCISCUS PP.

Traditionis custodes, Episcopi, in communione cum Romano Episcopo, visibile principium et fundamentum sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus. [1] Spiritu Sancto duce, per Evangelii nuntium necnon Eucharisticam celebrationem, illi Ecclesias particulares sibi commissas regunt. [2]

Ad concordiam et unitatem Ecclesiae promovendam, paterna sollicitudine erga eos qui aliquibus in regionibus formis liturgicis adhaeserunt antecedentibus instaurationem a Concilio Vaticano II statutam, Venerabiles Decessores nostri sanctus Ioannes Paulus II et Benedictus XVI facultatem adhibendi Missale Romanum a sancto Ioanne XXIII editum anno 1962 concesserunt necnon constituerunt. [3] Tali modo voluntatem suam significaverunt «facilem reddendi communionem ecclesialeм his fidelibus catholicis, qui se vinctos sentiunt quibusdam antecedentibus formis liturgicis» et non aliis. [4]

Persequens Venerabilis Decessoris nostri Benedicti XVI propositum hortandi Episcopos ad usum Litterarum Apostolicarum Motu Proprio datarum “Summorum Pontificum” exquirendum, triennio ab earum promulgatione intercesso, Congregatio pro Doctrina Fidei diligentem Episcoporum consultationem anno 2020 perfecit, cuius exitus, iuxta experientiam praeteritis his annis maturatam, valde perpensi sunt.

Nunc igitur, examinatis votis ab Episcopatu expressis et iudicio Congregationis pro Doctrina Fidei auditio, cupimus, praesentibus Litteris Apostolicis, magis magisque in communione ecclesiali assidue conquirenda perseverare. Qua de causa, opportunum nobis visum est quae sequuntur decernere:

Art. 1. Libri liturgici a sanctis Pontificibus Paulo VI et Ioanne Paulo II promulgati, iuxta decreta Concilii Vaticani II, unica expressio “legis orandi” Ritus Romani sunt.

Art. 2. Episcopus dioecesanus, totius vitae liturgicae in Ecclesia particulari sibi commissa moderator, promotor atque custos, [5] celebrationes liturgicas in sua dioecesi moderari debet. [6] Est illius ergo facultatem adhibendi Missale Romanum anno 1962 editum in dioecesi concedere, iuxta Sedis Apostolicae lineamenta.

Art. 3. Episcopus, in dioecesibus ubi adhuc unus vel plures coetus celebrant secundum Missale antecedens instaurationem anni 1970:

§1. certior fiat coetus illos auctoritatem ac legitimam naturam instauracionis liturgicae, normarum Concilii Vaticani II Magisteriique Summorum Pontificum non excludere;

§2. statuat unum vel plures locos ubi fideles, qui his coetibus adhaerent, convenire possint ad Eucharistiam celebrandam (nec autem in ecclesiis paroecialibus nec novas paroecias personales erigens);

§3. constituat, in loco statuto, dies quibus celebrationes eucharisticae secundum Missale Romanum a sancto Ioanne XXIII anno 1962 promulgatum permittuntur. [7] His in celebrationibus, lectiones proclamentur lingua vernacula, adhibitis Sacrae Scripturae translationibus ad usum liturgicum ab unaquaque Conferentia Episcoporum approbatis;

§4. designet presbyterum qui, Episcopi delegatus, munus celebrandi habeat necnon servandi curam pastoralem horum coetuum fidelium. Presbyter itaque ad hoc munus idoneus sit, peritus quoad usum Missalis Romani antecedentis instauracionem anni 1970, linguam latinam eo cognoscat ut rubricas textusque liturgicos penitus comprehendere valeat, moveatur vivida pastorali caritate atque communionis ecclesialis sensu. Necesse est enim presbyterum munus accipientem cordi habere non tantum decoram liturgiae celebrationem, sed etiam curam pastoralem et spiritualem fidelium;

§5. in paroeciis personalibus canonice erectis pro fidelibus illis, convenienter exquirat effectivam utilitatem quoad eorum spirituale incrementum et existimet utrum illae servandae sint an non;

§6. curae ei erit impedire ne novi coetus constituantur.

Art. 4. Presbyteri ordinati post has Litteras Apostolicas Motu Proprio datas promulgatas, celebrare volentes iuxta Missale Romanum anno 1962 editum, petitionem formalem Episcopo dioecesano mittere debent, qui, ante concessionem, a Sede Apostolica licentiam rogabit.

Art. 5. Presbyteri, qui iam secundum Missale Romanum anno 1962 editum celebrant, ab Episcopo

dioecesano licentiam rogabunt ad hanc facultatem servandam.

Art. 6. Instituta vitae consecratae et Societates vitae apostolicae erecta eo tempore a Pontificia Commissione “Ecclesia Dei”, sub iurisdictionem Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae transeunt.

Art. 7. Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum et Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, quaeque pro competentiis suis, auctoritatem Sanctae Sedis exercebunt, observantiae harum dispositionum invigilantes.

Art. 8. Normae, dispositiones, concessiones et consuetudines antecedentes, quae conformes non sint cum harum Litterarum Apostolicarum Motu Proprio datarum praescriptis, abrogantur.

Quaecumque vero Nos hisce Litteris Apostolicis Motu Proprio datis decrevimus, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiari etiam mentione dignis, atque statuimus ut memoratae Litterae promulgentur per editionem in actis diurnis *L’Osservatore Romano*, eodem die vim obtinentes, et deinde in Actis Apostolicae Sedis commentario officiali Sanctae Sedis edantur.

Datum Romae, Laterani, die XVI mensis Iulii, in memoria Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, anno MMXXI, Pontificatus Nostri nono.

FRANCISCUS PP.

[1] Cfr. Conc. OEcum Vat. II, Const. Dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium*, 21 novembris 1964, n. 23: AAS 57 (1965) 27.

[2] Cfr. Conc. OEcum Vat. II, Const. Dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium*, 21 novembris 1964, n. 27: AAS 57 (1965) 32; Conc. OEcum Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 28 octobris 1965, n. 11: AAS 58 (1966) 677-678; *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 833.

[3] Cfr. Ioannes Paulus II, Litt. Ap. Motu proprio datae *Ecclesia Dei*, 2 iulii 1988: AAS 80 (1998) 1495-1498; Benedictus XVI, Litt. Ap. Motu proprio datae *Summorum Pontificum*, 7 iulii 2007: AAS 99 (2007) 777-781; Litt. Ap. Motu proprio datae *Ecclesiae unitatem*, 2 iulii 2009: AAS 101 (2009) 710-711.

[4] Ioannes Paulus II, Litt. Ap. Motu proprio datae *Ecclesia Dei*, 2 iulii 1988, n. 5: AAS 80 (1998) 1498.

[5] Cfr. Conc. OEcum Vat. II, Const. De sacra liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 4 decembris 1963, n. 41: AAS 56 (1964) 111; *Cæremoneale Episcoporum*, n. 9; Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Instr. de quibusdam observandis et vitandis circa Sanctissimam Eucharistiam *Redemptionis Sacramentum*, 25 martii 2004, nn. 19-25: AAS 96 (2004) 555-557.

[6] Cfr. CIC, can. 375, § 1; can. 392.

[7] Cfr. Congregatio pro Doctrina Fidei, Decr. *Quo magis de approbatione septem novorum praefationum pro forma extraordinaria Ritus Romani*, 22 februarii 2020, et Decr. *Cum sanctissima de celebratione liturgica sanctorum in forma extraordinaria Ritus Romani*, 22 februarii 2020: *L’Osservatore Romano*, 26 martii 2020, p. 6.